

Die 14 mensis martii praedicti illustrissimus ac reverendissimus dominus mane hora 13 audita missa discessit cum suis (etc.) et venit ad locum Corbarae Aleriensis dioecesis circa meridiem, suamque residentiam fixit in aedibus dominorum de Pariggis.

Eadem die hora 22 illustrissimus dominus se contulit ad visitandam ecclesiam Beatae Virginis Mariae Annunciatae insignis collegiatae dicti loci Corbarae. Ordo autem fuit: canonici omnes choralis habitu induti accesserunt cum populo ad aedes residentiae; hinc ordine publicae supplicationis ventum fuit ad ecclesiam. Tum ad praescriptum pontificalis romani fuerunt persolutae preces et postea illustrissimus dominus pontificaliter indutus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime asservatur, eoque populum benedixit.

[80r] Deinde sacris exutus vestibus visitavit baptisterium et sacra olea, quae munda sunt. Extant etiam nonnullae sacrae reliquiae, ut in inventario, quas etiam recognovit.

Octo sunt altaria. Maius, totum marmoreum eleganter quippe elaboratum cum grandi statua pariter marmorea Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi; in eo pariter est perpulchrum marmoreum tabernaculum, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum.

A cornu evangelii secundum altare seu cappella beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo pariter ornamento marmoreo constructum, et manenetur a populo hebdomadaria eleemosina panis ordeacei pro qualibet familia. In hoc altari erecta est cappellania seu verius legatum pium missarum quatuor in qualibet hebdomada, relictum a quondam canonico Philippo Savelli de anno 1640 per acta Ioannis Blasi notarii.

A cornu epistolae extat consimile altare seu cappella sanctissimae Annunciationis pariter marmoreum, et manenetur a populo. A cornu evangelii altare sanctissimi Rosarii, in quo erecta est societas sanctissimi Rosarii (etc.), **[80v]** quod pariter eleemosinis manenetur. Quintum in eadem parte altare sancti Iacobi.

Sextum a cornu epistolae altare sanctissimae Trinitatis, in quo erecta est cappellania Dominici quondam Olivo cum onere tribus cappellanis celebrandi quatuor missas in qualibet hebdomada, prout ex instrumento seu actis Andreae Mariani notarii de anno 1709, 31 maii. Sed cum a cappellanis praedictis in erectione collegiatae renunciata sit, modo praedicto oneri satisfit a canonicis.

Septimum altare seu cappella Animarum Purgantium, in quo erecta est cappellania a quondam canonico Gregorio Passani cum onere missarum centum in anno. Cappellanus ad praesens est sacerdos Iulius Franciscus Passani Ianuae commorans; et erectio huiusmodi cappellaniae seu legati pii fuit facta anno 1699 die 5 iulii per acta notarii Ioannis Baptistae Orsoni.

Ultimum demum altare sancti Ioannis Baptistae, in quo nullum est onus.

Itaque haec ecclesia pulchrior et elegantior est omnibus ecclesiis Aleriensis dioecesis, tam amplitudine quam **[81r]** architectura et egregio ordine. Unde illustrissimus et reverendissimus dominus summopere quidem laudavit pietatem populi et addidit se idcirco hunc locum elegisse ad peragendas sacras functiones Maioris Hebdomadae.

Referam aliquid de dicto capitulo huius collegiatae; sed si quis fusius de eo instructus optet esse, legat inventarium (etc.). Omnia enim referre nec tempus nec opus meum postulat.

Die 15 martii 1752 fuit expedita bulla erectionis insignis collegiatae a sanctae memoriae Benedicto XIV et canonici inierunt possessionem die 26 augusti 1753. Canonici sunt septem, nempe archipraesbiter, prima dignitas, canonicus Hieronymus Pariggi, non residens, pulsus a Regno eo quod obtinuerit huiusmodi praebendam per concursum habitum ab episcopo Aleriensi in civitate Bastiae contra decretum praesidum huius Regni; secundus, canonicus Philippus Maria Savelli; tertius, Ioseph Maria Savelli; quartus, canonicus Iulius Maria Savelli; quintus, dictus [?!] canonicus Petrus Pariggi; sextus, canonicus Franciscus Antonius **[81v]** Franceschini; septimus, canonicus Paulus Ioannes Aitelli. Duo beneficiati: Georgius Franceschini et Ioseph Amadei. Habitus coralis est vestis talaris, rocchettus et mozzetta violacei coloris. Sigillum capitulare est imago sanctissimae Annunciationis cum litteris per girum "Capitulum insignis collegiatae Corbarae".

Quoad punctaturas horas psallendi et reliqua quae in bullis apostolicis praescribuntur, illustrissimus dominus deprehendit nihil fuisse executioni demandatum; unde tempore, de quo inferius, edidit decreta, quorum copiam habes in decretis in fine huius alligatis. Originalia enim sunt penes dictum capitulum in eius archivio (etc.).

Summa seu massa distributionum sunt scuta romana biscentum triginta quatuor: pro archipraesbitero sunt 52, pro quolibet canonico viginti sex; pro beneficiatis duodecim cum dimidio. Punctatura quotidiana sunt soldi sex, et duplum pro archipraesbitero, et soldi tres pro beneficiatis, et **[82r]** in solemnioribus festis designatis duplum respective punctaturae quotidianae. Nec dicti canonici et beneficiati et archipraesbiter gaudent tribus mensibus vacationum.

Familiae loci Corbarae 210. Sacerdotes 18. Animae 1029. Altare privilegiatum altare sanctissimae Annunciationis.

Extat etiam oratorium seu casazza Sancti Antonii Abbatis, quod successive illustrissimus et reverendissimus dominus visitavit nihilque praecipendum fuit. Ibi populus instetit ut mane celebraretur missa; quae petitio eidem valde placuit, et idcirco edidit decretum ut eleemosinae missarum quae a confratribus fieri solent dentur omnes illi sacerdoti qui mane celebret. Et cum iam sero esset, ad suam residentiam rediit.

Die 15 dominica Palmarum illustrissimus dominus, celebrata missa in cappella suae residentiae, se contulit ad ecclesiam collegiatam et pontificaliter benedixit palmas; et tum missae conventuali adstitit. Sequentibus diebus ob sacras functiones haben(das) quievit.

[82v] Die 18 interfuit matutinis tenebrarum (etc.).

Die 19 feria quinta Maioris Hebdomadae, servatis omnibus quae a pontificali et caeremoniali episcoporum praescribuntur, pontificalem missam celebravit et sacra olea confecit, adsistentibus 12 praesbiteris, 7 diaconis et todidem subdiaconis propriis vestibus indutis, praeter canonicos et caeteros clericos et praesbiteros. E suggestu antequam benediceret oleum infirmorum publicari fecit transumptum bullae *In caena Domini*.

Peracta missa, in qua habuit etiam communionem totius cleri, fuerunt recitatae vesperae et facta altarium denudatio. Tum illustrissimus dominus met servatis servandis habuit *Mandatum* lavando pedes duodecim pauperibus saccis albi coloris indutis, non sine maxima populi admiratione et cordis compunctione, cum nunquam antea sacram hanc functionem viderit. Circa horam 13 functiones incoeperunt et circa 19 horam fuerunt absolutae.

[...]

Die 21 functionibus adstitit; et die 22 dominica Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi pontificalem missam celebravit.

[83v] Die 23 admodum reverendus plebanus convisitator descendit ad oratorium Sancti Ioannis Baptistae, pro quo vide decreta (etc.).

Plurima sunt oratorii huius loci. Illud Sanctissimae Virginis Mariae vulgo Lazzi, quod erat antiqua parochialis ecclesia huius et aliorum locorum, et de imagine huius beatissimae Virginis plura miracula dictitant. Certum est quod populus eam veneratur particulari devotioni et fide. Oratorium Sancti Cipriani, quod custoditur ab eremita. Oratorium Sanctae Luciae virginis et martyris. Oratorium Sancti Rocchi. Oratorium Beatae Mariae Septem Dolorum. Quae omnia eleemosinis fidelium manentur. Ad dicta oratoria nemo nostrum accessit, sicuti nec ad locum Algaiolae sub ditione Serenissimae Republicae Ianuensis.

Die 26 martii habitus fuit concursus ecclesiae Sancti Andreae loci Bigugliae Marianensis dioecesis, et die 27 alter habitus fuit concursus pro ecclesia Sanctae Ceciliae loci Scatae.

Die 30 illustrissimus ac reverendissimus dominus visitavit ecclesiam et conventum Minorum Observantium Sancti Francisci loci Aregni.

Transactis et sequentibus diebus, in quibus illustrissimus dominus in loco [84r] Corbarae moram traxit, praeter ea quae superius retuli, animum assiduum habuit ad aliquam statuendam regulam venerabili capitulo dictae collegiatae insignis, quae paucis ab hinc annis erecta veluti infans mox editus in lucem sine nutrice miserime se habebat, prout facile colligi potest ex decretis,

de quibus superius commemoravi cum de collegiata agebam. Erant etiam controversiae inter dictum capitulum et communitatem circa obligationem ab ea factam librarum 400 ad favorem canonicorum, prout ex ipsis bullis. Illustrissimus dominus, quo fieret satis dictis bullis, communitas autem ne his miserrimis temporibus nova gravaretur taxa, et venerabile capitulum aliquid acquireret, licet iure merito dictas libras amiserit, attenta posteriori renunciatione ab eo facta (etc.); post octo congregationes factas cum reverendis canonicis et duobus deputatis communitatis, statuit ut in decretis 7 et 8.

Iurgium etiam erat inter venerabile capitulum et patres Minores [84v] Observantium loci Aregni circa praecedentiam in ingressu ecclesiae occasione associationis cadaverum cum ad eorum ecclesiam deferebantur. Autumabant enim religiosi sibi competere praecedentiam in propria ecclesia; at contra decretum fuit adhibita quadam moderatione (etc.).

Demum peracta quoque visitatione personali praesbiterorum a reverendissimo theologo, facto etiam experimento caeremoniarum missae, libris parochialibus confirmatis et visis libris onerum capituli atque editis sententiis, reverendissimus dominus die 2 aprilis discessit cum suis e dicto loco Corbarae.

[...]

Pro oratorio Sancti Ioannis Baptistae loci Corbara

Intra sex menses restauretur tectum, sub poena interdicti.

Instruantur faenestrae saltem tela cera linita intra mensem, sub poena librarum decem.

Fiat intra sex menses nova alba et amictus, sub poena librarum 40, et restauretur intra mensem planeta variorum colorum.

Conficiatur tabella onerum missarum intra decem dies, sub poenis ad arbitrium.

[...]

Die 30 martii illustrissimus dominus e loco Corbarae se contulit ad conventum patrum Minorum Observantium Sancti Francisci Aregni, quo perventus consuetas persolvit preces, celebravit missam; postquam omnes patres accesserunt ad osculum manus, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime quidem retinetur, eoque populum benedixit.

Recognovit successive sacras reliquias et parvam statuam ceream Pueri Iesus, quam adoravit et ex litteris authenticis veram esse cognovit illarum quae Hierosolymis collocantur in cripta ubi Dominus Noster Iesus Christus dignatus est nasci.

Lustravit altaria omnia, quae sunt undecim, prout in inventario, singula necessariis munita, necnon etiam iconibus pervetustis et recentioribus non spernendis. Ecclesia etiam quoad omnia optime se habet, praeterquam lapides sepulchrorum, quas infra quatuor menses restaurari praecepit, sub poena iurispatronatus amissionis. Hinc se contulit in chorum, quod affabre factum

et architectura constructum est, et superius habet decens vulgo *cantoria* cum organo. Suppellectilia etiam sunt plus quam satis et munda retenta.

Peracta visitatione ecclesiae, ascivit omnes patres et laicos in camera refe[300v]ctorii ibique, admonitione praemissa, consueta formula absolvit a censuris (etc.), et attenta tarditate horae ad suam residentiam se restituit.

Eadem die post prandium iterum se contulit ad praefatum conventum ad habendam personalem visitationem, ut ex actis (etc.). Lustravit singulas officinas et cameras et vidit damnum quod passus est ex repentino incendio nocturno tempore diei 17 ianuarii proximi praeteriti excitato, ex quo omnes cellae dormitorii consumptae fuere, easque iam restaurabant.

Deprehendit clausuram non esse septam muro, ideoque decrevit confici murum cum porta, quo conventus foret clausus et praecipue scala. Praecepit insuper apponi lapidem supra portam, in qua indicetur adesse excommunicationem papae reservatam in foeminas ingredienti clausuram, et alterum lapidem supra ianuam nemoris, in qua describatur non esse clausuram.

Hac occasione proposita fuit quaestio intra venerabile capitulum insignis collegiatae Corbarae et patres dicti conventus, quod dum canonici accederent occasione funerum, religiosi processionaliter hinc inde sistebant extra ecclesiam et prope scalam recipiebant cadavera, et ita postea assumebant praecedentiam donec ad praesbiterium perveniretur. Illustrissimus dominus auditis partibus (etc.) declaravit praecedentiam et digniorem locum deberi capitulo et canonicis etiam in ecclesia ipsorum patrum, ad praescriptum constitutionum apostolicarum et resolutionem Sacrorum Rituum Congregationis, ac propterea mandavit quod cum capitulum pervenerit ad ecclesiam dictorum patrum libere ingrediatur, religiosi vero sint ad ianuam ecclesiae hinc inde circa cadaver, superiore locali vel alteri de eius mandato illud aspergente, et ita hinc inde cadaver ipsum associabunt vel sistent donec canonici ad locum sibi paratum pervenerint, et ita (etc.) ut in decretis (etc.).

[...]

Pro conventu Sancti Francisci loci Aregni Bananiae

Infra quatuor menses apponatur novus lapis sepulchro iurispatronatus domini Angeli a Pigna, alteri dominorum Marcelli et Ioannis Nicolai a Corbara, tertio domini Andreae Savelli a Corbara, quarto demum domini Francisci Pariggi; alias dicto termino elapso, omnino interdicto subiaceant et compatroni praedicti respective eorumdem sepulchrorum iurispatronatus amittant et ad ecclesiam seu conventum devolvantur.

Clausura cingatur muro satis elevato, quo totus conventus sit custoditus, et potissimum scala; et moenibus clausurae fiat porta, supra quam apponatur lapis cum indicatione excommunicationis papae reservatae in foeminas clausuram quocumque praetextu et quaesito

colore ingredientes, atque alter lapis apponatur supra ianuam nemori respondentem, in quo indicetur nemus non esse clausuram. Haec omnia infra annum conficiantur a superiore locali, sub poena privationis officii, vocis activae et passivae et in subsidium excommunicationis (etc.) etiam contra religiosos in eo pro tempore degentes.